

PLINE L'ANCIEN

HISTOIRE NATURELLE

LIVRE XIV

NH

4245

B376

-14

94

8

14929

14



NA 4245 B376-14

P

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
LEIPZIG

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK LEIPZIG



0000381207

Jahr

Ild. Nummer

Band

Unterteile

94	81	49	29	1	14			
----	----	----	----	---	----	--	--	--

✓

16.1.60

PLINII HISTORIA

HISTORIA NATURALIS

XIV

PLINE L'ANCIEN

HISTOIRE NATURELLE

XIV

Il a été tiré de cet ouvrage :

*100 exemplaires sur papier pur fil Lafuma
numérotés de 1 à 100.*

BIBLIOTHÈQUE HISTORIQUE NATURELLE

VII

COLLECTION DES UNIVERSITÉS DE FRANCE
publiée sous le patronage de l'ASSOCIATION GUILLAUME BUDÉ

+

PLINE L'ANCIEN

HISTOIRE NATURELLE


LIVRE XIV

TEXTE ÉTABLI, TRADUIT ET COMMENTÉ

PAR

J. ANDRÉ

Directeur d'études à l'École des Hautes-Études



*Ouvrage publié avec le concours
du Centre National de la Recherche Scientifique.*

PARIS

SOCIÉTÉ D'ÉDITION « LES BELLES LETTRES »

95, BOULEVARD RASPAIL, 95

1958



94-8-14929


K

№ 30.5.194

Li 250

Conformément aux statuts de l'Association Guillaume Budé, ce volume a été soumis à l'approbation de la commission technique, qui a chargé M. A. Ernout d'en faire la révision, en collaboration avec M. J. André.

les



© Société d'Édition Les Belles Lettres 1958.

LIVRE XIV

LIVRE XIV

LIBER XIV

I. Externae arbores indocilesque nasci alibi quam 1
ubi coepere et quae in alienas non commeant terras
hactenus fere sunt, licetque iam de communibus loqui,
quarum omnium peculiaris parens uideri potest Italia.
Noscentes tantum meminerint naturas earum a nobis
interim dici, non culturas, quamquam et colendi
maxima in natura portio est. Illud satis mirari non 2
queo, interisse quarumdam memoriam atque etiam
nominum quae auctores prodidere notitiam. Quis
enim non communicato orbe terrarum maiestate
Romani imperii profecisse uitam putet commercio
rerum ac societate festae pacis, omniaque, etiam quae
antea occulta fuerant, in promiscuo usu facta? At 3
Hercules non reperiuntur qui norint multa ab antiquis
proditata. Tanto priscorum cura fertilior aut industria
felicior fuit, ante milia annorum inter principia
litterarum Hesiodo praecepta agricolis pandere orso
subsecutisque non paucis hanc curam eius, unde nobis

creuit labor, quippe cum requirenda sint non solum postea inuenta, uerum etiam ea quae inuenerant prisci, desidia rerum internecone memoriae indicta. Cuius uitii causas quis alias quam publicas mundi 4 inuenerit ? Nimirum alii subiere ritus, circaque alia mentes hominum detinentur et auaritiae tantum artes coluntur.

Antea inclusis gentium imperiis intra ipsas adeoque et ingeniis, quadam sterilitate fortunae necesse erat animi bona exercere, regesque innumeri honore artium colebantur et in ostentatione has praeferebant opes, immortalitatem sibi per illas prorogari arbitantes, qua re abundabant et praemia et opera uitae. Posteris 5 laxitas mundi et rerum amplitudo damno fuit. Postquam senator censu legi coeptus, iudex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare quam census, postquam coepere orbitas in auctoritate summa et potentia esse, captatio in quaestu fertilissimo ac sola gaudia in possidendo, pessum iere uitae pretia omnesque a maximo bono liberales dictae artes in contrarium cecidere ac seruitute sola profici coeptum. Hanc alius 6 alio modo et in aliis adorare, eodem tamen habendique ad spes omnium tendente uoto ; passim uero etiam egregii aliena uitia quam bona sua colere malle. Ergo Hercules uoluptas uiuere coepit, uita ipsa desiit.

Sed nos oblitterata quoque scrutabimur, nec deter- 7
rebit quarumdam rerum humilitas, sicuti nec in anima-
libus fecit, quamquam uidemus Vergilium praecellen-
tissimum uatem ea de causa hortorum dotes fugisse
et in his quae rettulit flores modo rerum decerpisse,
beatum felicemque gratiae quindecim omnino generi-
bus uuarum nominatis, tribus oleae, totidem pirorum,
malo uero tantum Assyrio, ceteris omnibus neglectis.

II. Vnde autem potius incipiamus quam a uitibus, 8
quarum principatus in tantum peculiaris Italiae est,
ut uel hoc uno omnia gentium uicisse etiam odorifera
possit uideri bona, quamquam ubicumque pubes-
centium odori nulla suauitas praefertur?

(1) Vites iure apud priscos magnitudine quoque 9
inter arbores numerabantur. Iouis simulacrum in urbe
Populonio ex una conspicimus tot aeuis incorruptum,
item Massiliae pantheram. Metaponti templum Iuno-
nis uitigineis columnis stetit. Etiam nunc scalis
tectum Ephesiae Dianae scanditur una uite Cypria,
ut ferunt, quoniam ibi ad praecipuam amplitudinem
exeunt. Nec est ligno ulli aeternior natura; uerum ista
ex siluestribus facta crediderim.

III. Hae uites tonsura annua coercentur, et uis 10
earum omnis euocatur in palmites aut deprimitur in
propagines, suciue tantum gratia exire sinitur plu-

ribus modis ad caeli mores solique ingenia. In Campano agro populis nubunt, maritasque complexae atque per ramos earum procacibus bracchiis geniculato cursu scandentes cacumina aequant, in tantum sublimes ut uindemitor auctoratus rogum ac tumulum excipiat, nulla fine crescendi, uidiq̄ue iam porticus, uillas et domos ambiri singularum palmitibus ac sequacibus loris. Quodque memoria dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius existimauit, una uitis Romae in Liuiae porticibus subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat, eadem duodenis musti amphoris fecunda. Vlmos quidem ubique exsuperant, miratumque altitudinem earum Ariciae ferunt legatum regis Pyrrhi Cineam facete lusisse in austeriorem gustum uini, merito matrem eius pendere in tam alta cruce. Rumpotinus uocatur et alio nomine opulus arbor Italiae Padum transgressis, cuius tabulata in orbem patula replent puroque perductae dracone in palmam eius inde sub rectos ramorum digitos flagella dispergunt. Eaedem modici hominis altitudine adminiculatae sudibus horrent, uineamque faciunt et aliae improbo reptatu pampi-

11

12

13

norumque † peritiam damna † discursu atria media
complentes. Tot differentias uel sola tantum Italia
recipit. Stat prouinciarum aliquarum per se uitis
sine ullo pedamento, arcus suos in se colligens
et breuitate crassitudinem pascens. Vetant hoc aliubi 14
uenti, ut in Africa et Narbonensis prouinciae partibus,
ubi excrescere ultra suos pollices prohibitae semperque
pastinatis similes herbarum modo uagantur per arua
et sucum terrae passim uuis bibunt, quae ob id magni-
tudinem infantium puerorum in interiore parte
Africae exsuperant. Vina non alibi tristiora, sed uua
non alibi gratior callo, unde possit inuenisse nomen
durus acinus. Namque genera magnitudine, colore, 15
saporibus acini innumera etiamnum multiplicantur
uino. Hic purpureo lucent colore, illic fulgent roseo
nitentque uiridi; candicans enim nigerque uulgares.
Tument uero mammaram modo bumasti, praelongis
dactyli porriguntur acinis. Est et illa naturae lasciuia,
ut praegrandibus adhaereant parui comites, suauitate
certantes; leptorragas has uocant. Durant aliae per 16
hiemes, pensili concamaratae nodo. Aliae in sua tan-
tum continentur anima, ollis fictilibus et insuper doliis

inclusae, stipatae uinaceis circumsudantibus. Aliis gratiam, qui et uinis, fumus adfert fabrilis, in *iisque* gloriam praecipuam fornacibus Africae Tiberii Caesaris auctoritas fecit; ante eum Raeticis prior mensa erat uuis ex Veroniensium agro; quin et a patientia nomen acinis datur passis. Conduntur et musto uuae 17 ipsaeque uino suo inebriantur. Aliae decocto in musto dulcescunt, aliae uero subolem nouam in ipsa matre expectant tralucidae uitro, additque acinis eandem quam in doliis amphorisue duratricem illam firmitatem austeritas picis infusa pediculo. Iam inuenta 18 uitis per se in uino picem resipiens, Viennensem agrum nobilitans Taburno Sotanoque et Heluico generibus, non pridem haec illustrata atque Vergilii uatis aetate incognita, a cuius obitu XC aguntur anni. Quid, quod inserta castris summam rerum impe- 19 riumque continet centurionum in manu uitis et opimo praemio tardos ordines ad lentas perducit aquilas atque etiam in delictis poenam ipsam honorat? Nec non uineae oppugnationum dedere rationem. Nam in

medicaminibus adeo magnum obtinent locum, ut per sese uino ipso remedia sint.

IV (2). Genera uitium numero comprehendi posse 20 unus existimauit Democritus, cuncta sibi Graeciae cognita professus ; ceteri innumera atque infinita esse prodiderunt, quod uerius apparebit ex uinis. Nec omnia dicentur, sed maxime insignia, quippe totidem paene sunt quot agri, quam ob rem celeberrimas uitium aut quibus est aliqua proprietate miraculum ostendisse satis erit.

Principatus datur Aminneis firmitatem propter 21 senioque proficientem uini eius utique uitam. Quinque earum genera. Ex iis germana minor acino melius deflorescit, imbres tempestatesque tolerat, non item maior, sed in arbore quam in iugo minus obnoxia. Gemellarum, quibus hoc nomen uuae semper gemi- 22 nae dedere, asperrimus sapor, sed uires praecipuae ; ex his minor austro laeditur, ceteris uentis alitur, ut in Vesuuio monte Surrentinisque collibus, in reliquis Italiae partibus non nisi arbori accommodata. Quintum genus lanatae ; ne Seras miremur aut Indos, adeo lanugo eam uestit ; prima ex Aminneis maturascit ocissimeque putrescit.

Proxima dignitas Nomentanis, rubente materia, 23 quapropter quidam rubellas appellauere uineas. Hae

minus fertiles, uineaceis et faece nimiae, contra pruinas fortissimae, siccitate magis quam imbre, aestu quam algore uexantur; quam ob rem in frigidis umidisque principatum obtinent. Fertior quae minor acino et folio scissa minus.

Apianis apes dedere cognomen, praecipue earum 24
auidae. Ex iis duo genera lanugine et ipsa pubescunt; distant quod altera celerius maturescit, quamquam et altera properante. Situs frigidos non respuunt, et tamen nullae celerius imbre putrescunt. Vina primo dulcia austeritatem annis accipiunt. Etruria nulla magis uite gaudet.

Et hactenus potissima nobilitas datur peculiaribus 25
atque uernaculis Italiae; ceterae aduenere. *E* Chio Thasoue Graecula non inferior Aminneis bonitate, praetenera acino et uua tam parua, ut nisi pinguisimo solo colere non prosit. Eugeniam Tauromentani colles cum generositatis cognomine misere Albano tantum agro, quoniam translata statim mutatur. Namque est aliquis tantus locorum amor, ut omnem in iis gloriam suam relinquunt nec usquam transeant totae. Quod et in Raetica Allobrogicaque, 26
quam supra picatam appellauimus, euenit, domi nobilibus nec agnoscendis alibi. Fecundae tamen bonitatis uice copiam praestant, eugenia feruentibus

locis, Raetica temperatis, Allobrogica frigidis, gelu
maturescens et colore nigra. Ex his quas adhuc dixi- 27
mus, sed etiam e nigris, uina uetustate in album colo-
rem transeunt. Reliquae ignobiles, aliquando tamen
caeli aut soli opera non fallunt uetustatem, sicuti Fae-
cena et cum ea florens Biturigiaca, acino rarior,
numquam floris obnoxii, quoniam antecedunt uen-
tisque et imbribus resistunt, meliores tamen algen-
tibus locis quam calidis, umidis quam sitientibus.
Visulla grandi magis quam denso uuarum partu, 28
impatiens uariantis caeli, sed contra tenorem unum
algoris aestusue constans ; quae minor est ex eo genere
melior. In eligendo solo morosa, pingui putrescit, gra-
cili omnino non prouenit ; mediam temperiem delicate
quaerit, ob hoc Sabinis collibus familiaris. Uua eius
indecora uisu, sapore iucunda ; nisi matura protinus
rapitur, etiam non putrescens cadit. Contra grandines
eam tuetur foliorum amplitudo atque duritia.

Insignes iam colore inter purpureas nigrasque 29
heluolae saepius uariantes et ob id uarianae a quibus-
dam appellatae. Praefertur in iis nigrior ; utraque
alternis annis fertilis, sed melior uino cum parcior. Et
praeciae duo genera magnitudine acini discernuntur,
quibus materies plurima uuaque ollis utilissima ;

folium apio simile. Baliscam Dyrrachini celebrant, Hispaniae coccolobin uocant; rarior uua, aestus austrosque tolerat, capiti inimica, copia larga. Hispaniae duo genera eius faciunt, unum oblongo acino, alterum rotundo. Nouissimas uindemiant: quo dulcior est coccolobis, hoc melior; sed et austera transit in dulcem uetustatem, et quae dulcis fuit in austeritatem; tunc Albano uino aemulantur. Tradunt uesicae uitiis utilissimum ex iis potum. Albuelis summis arboribus fertilior est, uisulla imis; quam ob rem circa easdem satae diuersitate naturae locupletant. Inerticulam e nigris appellauere, iustius sobriam dicturi, inueterato praecipue commendabilem uino, sed uiribus innoxiam, si quidem temulentiam sola non facit.

Fertilitas commendat ceteras principemque heluenacam. Duo eius genera: maior quam quidam longam, minor quam marcum appellant, non tam fecundam, sed gratiorem haustu; discernitur folio circinato, uerum utraque gracilis. Furcas subdere iis necessarium; alioqui ubertatem suam non tolerant. Maritimo adflatu gaudent, roscida odere. Nulla uitium minus Italiam amat, rara, parua, putrescens in ea,

uino quoque quod genuit aestatem non exsuperans ; nec alia macro solo familiarior. Graecinus, qui alioqui Cornelium Celsum transcripsit, arbitratur non naturam eius repugnare Italiae, sed culturam auide palmites euocantium ; ob id fertilitate sua absumi, si non praepinguis soli ubertas lassescentem sustineat. Carbunculare negatur, magna dote, si uerum est aliqua in uite caelo non esse ius.

Aestus fert spionia, quam quidam spineam uocant, 34
autumnisque imbribus pinguescit ; quin immo nebulis una alitur, ob id Rauennati agro peculiaris. Vennunculam inter optume deflorescentis et ollis aptissimam Campani malunt surculam uocare, alii scapulam, Tarracina Numisianam, nullas uires proprias habentem, sed totam perinde ac solum ualeat, Surrentinis tamen efficacissimam testis Vesuuio tenus. Ibi enim 35
Murgentina e Sicilia potentissima, quam Pompeianam aliqui uocant, laeto demum feracem, sicut horconia in Campania tantum. E diuerso arceraca, Vergilio argitis dicta, ultro solum laetius facit, ipsa contra imbres et senectam fortissima, uino quidem uix

annua ac uilitatis cibariae, sed ubertate praecipua. Tolerat et annos mettica, contra omne sidus firmissima, nigro acino, uinis in uetustate rufescentibus.

(3) Et hactenus publica sunt genera, cetera regio- 36
num locorumque aut ex iis inter se insitis mixta : si
quidem Tuscis peculiaris est Tudernis, atque etiam
nomen iis Florentiae sopina, Arretio talpona et
etesiaca et conseminia. Talpona nigra candidum facit
mustum. Etesiaca fallax : quo plus tulit, hoc lauda-
bilis fundit, mirumque, fecunditate pariter et boni-
tate cessat. Conseminia nigra, uino minime durante,
uua maxime, post XV dies quam ulla alia metitur, fer-
tilis, sed cibaria ; huius folia sicuti labruscae prius- 37
quam decidant sanguineo colore mutantur. Euenit hoc
et quibusdam aliis, pessimi generis argumento. Hir-
tiola Umbriae Meuanatique et Piceno agro pecu-
liaris est, Amiternino pumula ; isdem bananica fal-
lax est, adamant tamen eam. Municipii suam Pompei 38
nomine appellant, quamuis Clusinis copiosiore ;

municipii et Tiburtes appellauere, quamuis oleagineam nuper inuenerint a similitudine oliuae; nouissima haec uuarum ad hoc tempus reperta est. Vina-
 ciolam soli nouerunt Sabini, Caluentinam Gaurani. Scio e Falerno agro tralatas uocari Falernas, celerime ubique degenerantis. Nec non Surrentinum
 genus fecere aliqui praedulci uua. Capnios et buco- 39
 niates et tharrupia in Thurinis collibus non ante demetuntur quam gelauerit. Pariana gaudent Pisae, Mutina Perusinia nigro acino, intra quadriennium albescente uino. Mirum ibi cum sole circumagi uuam quae ob id streptis uocatur, et in Italia Gallicam placere, trans Alpis uero Picenam. Dixit Vergilius Thasias et Mareotidas et lageas compluresque externas, quae non reperiuntur in Italia.

Sed sunt etiamnum insignes uua, non uino, ambrosia 40
 e duracinis, sine ullis uasis in uite seruabilis — tanta est contra frigora, aestus tempestatesque firmitas, nec [orthampelos] indiget arbore aut palis, ipsa se sustinens, non item dactylides digitali gracilitate —, columbinae e racemosis, et magis purpureae, cogno-

mine bimammiae, quando non racemos, sed uuas alias gerunt, item tripedanea, cui nomen a mensura 41 est, item scripula passo acino et Raetica in maritimis Alpibus appellata, dissimilis laudatae illi; namque haec breuis, conferta acino, degener uino, sed cute omnium tenuissima, nucleo (quod chium uocant) uno ac minimo, acinum praegrandem unum alterumue habens. Est et nigra Aminnea, cui Syriacae nomen imponunt, item Hispana, ignobilium probatissima.

In pergulis uero seruntur escariae appellatae : e 42 duracinis albae, nigrae, et bumasti totidem coloribus, ac nondum dictae Aegia et Rhodia et uncialis, uelut a pondere acini, item picina, omnium nigerrima, et coronario naturae lusu stephanitis, acinos foliis intercurtantibus, et quae forenses uocantur, celeres prouentu, uendibiles aspectu, portatu faciles. Contra damnantur etiam uisu cinerea et rabuscula et asinusca, minus tamen caudas uulpium imitata alopecis. Alexandrina appellatur uitis circa Phalacra Idae 43 breuis, ramis cubitalibus, acino nigro fabae magnitudine, nucleo molli et minimo, obliquis racemis praedulcibus, folio paruo et rotundo, sine diuisuris.

Septem his annis in Narbonensis prouinciae Alba Heluia inuenta est uitis uno die deflorescens, ob id tutissima ; carbunicam uocant, quam nunc tota prouincia conserit.

V (4). Catonum ille primus, triumpho et censura 44
super cetera insignis, magis tamen etiamnum clari-
tate litterarum praeceptisque omnium rerum expe-
tendarum datis generi Romano, inter prima uero agrum
colendi, ille aevi confessione optimus ac sine aemulo
agricola, pauca attigit uitium genera, quarumdam ex
iis iam etiam nominibus abolitis. Separatim toto 45
tractatu sententia eius indicanda, ut in omni genere
noscamus quae fuerint celeberrima anno DC urbis,
circa captas Carthaginem ac Corinthum, cum supre-
mum is diem obiit, et quantum postea CCXXX annis
uita profecerit. Ergo de uitibus uisque ita prodidit : 46
« Qui locus uino optimus dicetur esse et ostentus soli-
bus, Aminnium minusculum et geminum, eugenium,
heluium minusculum conserito. Qui locus crassior aut
nebulosior, Aminnium maius aut Murgentinum, api-
cium, Lucanum serito. Ceterae uites, miscellae
maxime, in quemuis agrum conueniunt. In olla uina-

ceis conduntur Aminnium minusculum et maius et apicium, eadem in sapa et musto, in lora recte conduntur. Quas suspendas duracinas, Aminnias maiores, uel ad fabrum ferrarium pro passis hae recte seruantur ». Nec sunt uetustiora de illa re Latinae 47 linguae praecepta; tam prope ab origine rerum sumus. Aminneam proxime dictam Varro Scantianam uocat.

In nostra aetate pauca exempla consummatae huius artis fuere, uerum eo minus omittenda, ut noscantur etiam praemia, quae in omni re maxime spectantur. Summam ergo adeptus est gloriam Acilius Sthenelus 48 e plebe libertina LX iugerum non amplius uineis excultis in Nomentano agro atque CCCC nummum uenumdatis. Magna fama et Vetuleno Aegialo, 49 perinde libertino, fuit in Campania rure Liternino, maiorque etiam fauore hominum, quoniam ipsum Africani colebat exilium; sed maxima, eiusdem Stheneli opera, Remmio Palaemoni, alias grammatica arte celebri, in hisce uiginti annis mercato rus DC nummum in eodem Nomentano decimi lapidis ab

urbe deuerticulo. Est autem usquequaque nota 50
uilitas mercis per omnia suburbana, ibi tamen maxime,
quoniam et neglecta indiligentia praedia parauerat
ac ne in pessimis quidem elegantioris soli. Haec
aggressus excolere non uirtute animi, sed uanitate
primo, quae nota mire in illo fuit, pastinatis de
integro uineis cura Stheneli, dum agricolam imitatur,
ad uix credibile miraculum perduxit, intra octauum
annum $\overline{\text{CCCC}}$ nummum emptori addicta pendente
uindemia. Cucurritque non nemo ad spectandas 51
uuarum in iis uineis strues, litteris eius altioribus
contra id pigra uicinitate sibi patrocinate, nouissime
Annaeo Seneca, principe tum eruditorum ac potentia,
quae postremo nimia ruit super ipsum, minime
utique miratore inanium, tanto praedii huius amore
capto, ut non puderet inuiso alias et ostentaturo tra-
dere palmam eam, emptis quadruplicato uineis
illis intra decimum fere curae annum. Digna opera 52
quae in Caecubis Setinisque agris proficeret, quando
et postea saepenumero septenos culleos singula
iugera, hoc est amphoras centenas quadragenas,
musti dedere! Ac ne quis uictam in hoc antiquitatem

arbitretur, idem Cato denos culleos redire ex iugeribus scripsit, efficacibus exemplis non maria plus temerata conferre mercatori, non in Rubrum litus Indicumue merces petitas quam sedulum ruris larem.

VI. Vino antiquissimo claritas Maroneo in Thra- 53
ciae maritima parte genito, ut auctor est Homerus. Neque enim fabulosa aut de origine eius uarie prodita consectamur, praeterquam Aristaeum primum omnium in eadem gente mel miscuisse uino, suauitate praecipua utriusque naturae sponte prouenientis. Maroneum uicies tanto addito aquae miscendum Homerus prodidit. Durat etiamnum uis in eadem 54
terra generi rigorque indomitus, quippe cum Mucianus ter consul ex iis qui nuperrime prodidere sextarios singulos octonis aquae misceri compererit praesens in eo tractu, esse autem colore nigrum, odoratum, uetustate pinguescere. Et Pramnio, quod idem Homerus celebrauit, etiamnunc honos durat; nascitur Zmyrnae regione iuxta delubrum Matris deum. In reliquis claritas generi non fuit alicui; anno fuit 55
omnium generum bonitate L. Opimio cos., cum C. Gracchus tribunus plebem seditionibus agitans interemptus est; ea caeli temperies fulsit (cocturam

uocant) solis opere natali urbis DCXXXIII, durant-
que adhuc uina ea ducentis fere annis, iam in speciem
redacta mellis asperi — etenim haec natura uinis in
uetustate est —, nec potari per se queant peruinciue
aqua, usque in amaritudinem carie indomita; sed
ceteris uinis commendandis minima aliqua mixtura
medicamenta sunt. Quod ut eius temporis aestima- 56
tione in singulas amphoras centeni nummi statuan-
tur, ex his tamen usura multiplicata semissibus,
quae ciuilis ac modica est, in C. Caesaris Germanici
filii principatu annis CLX singulas uncias uini cons-
tituisse nobili exemplo docuimus referentes uitam
Pomponii Secundi uatis cenamque quam principi illi
dedit. Tantum pecuniarum detinent apothecae! Nec 57
alia res maius incrementum sentit ad uicesimum
annum maiusue ab eo dispendium, non proficiente
pretio; raro quippe adhuc fuere, nec nisi in nepotatu,
singulis testis milia nummum. Viennenses soli picata
sua, quorum genera diximus, pluris permutare, sed
inter sese amore patrio, creduntur; idque uinum
frigidius reliquis existimatur in frigido potu.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

sol sup. cupit. b. d. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. v. w. x. y. z.

VII (5). Vino natura est hausto accendendi calore 58
uiscera intus, foris infuso refrigerandi. Nec alienum
fuerit commemorare hoc in loco quod Androcydes
sapientia clarus ad Alexandrum Magnum scripsit,
intemperantiam eius cohibens : « Vinum poturus, rex,
memento bibere te sanguinem terrae ; cicuta hominis
uenenum est, cicutae uinum ». Quibus praeceptis ille
si obtemperauisset, profecto amicos in temulentia
non interemisset, prorsus ut iure dici possit neque
uiribus corporis utilius aliud neque uoluptatibus
perniciosius, si modus absit.

VIII (6). Genera autem uini alia aliis gratiora esse 59
quis dubitet aut non ex eodem lacu aliud praestantius
altero germanitatem praecedere siue testa siue for-
tuito euentu ? Quam ob rem de principatu se quisque
iudicem statuet. Iulia Augusta LXXXVI annos 60
uitae Pucino uino rettulit acceptos, non alio usa.
Gignitur in sinu Hadriatici maris non procul Timauo
fonte saxoso colle, maritimo afflatu paucas coquente
amphoras ; nec aliud aptius medicamentis iudicatur ;
hoc esse crediderim quod Graeci celebrantes miris lau-

dibus Praetetianum appellauerint ex Hadriatico sinu. Dius Augustus Setinum praetulit cunctis et 61 fere secuti principes, confessa propter experimenta, non temere cruditatibus noxiis ab ea salua; nascitur supra Forum Appi. Antea Caecubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis sinu Amyncano, quod iam intercidit incuria coloni locique angustia, magis tamen fossa Neronis, quam a Baiano lacu Ostiam usque nauigabilem incohauerat.

Secunda nobilitas Falerno agro erat et ex eo 62 maxime Faustiniانو; cura culturaque id collegerat; exolescit haec quoque copiae potius quam bonitati studentium. Falernus ager a ponte Campano laeua petentibus Vrbanam coloniam Sullanam nuper Capuae contributam incipit, Faustinianus circiter III milia passuum a uico Caedicii, qui uicus a Sinuessa VI M passuum abest. Nec ulli nunc uino maior auctoritas; solo uinorum flamma accenditur. Tria eius 63 genera: austerum, dulce, tenue. Quidam ita distinguunt, summis collibus Caucinum gigni, mediis Faustinianum, imis Falernum. Non omittendum autem

nulli eorum quae celebrentur iucundum saporem uuae esse.

Ad tertiam palmam uarie uenere Albana urbi uicina, 64
praedulcia ac rara in austero, item Surrentina in
uineis tantum nascentia, conualescentibus maxime
probata propter tenuitatem salubritatemque. Tiberius
Caesar dicebat consensisse medicos ut nobilitatem
Surrentino darent, alioqui esse generosum acetum ;
C. Caesar, qui successit illi, nobilem uappam. Certant
Massica atque a monte Gauro Puteolos Baiasque
prospectantia. Nam Falerno contermina Statana ad 65
principatum uenere non dubie palamque fecere sua
quibusque terris tempora esse, suos rerum prouen-
tus occasusque. Iuncta iis praeponi solebant Calena
et quae in uineis arbustisque nascuntur Fundana
et alia ex uicinia urbis, Veliterna, Priuernatia. Nam
quod Signiae nascitur, austeritate nimia conti-
nendae utile aluo, inter medicamina numeratur.

Quartum curriculum publicis epulis obtinuere a 66
Diuo Iulio — is enim primus auctoritatem iis dedit,
ut epistulis eius apparet — Mamertina circa Mes-

sanam in Sicilia genita ; ex iis Potulana, ab auctore dicta illo cognomine, proxima Italiae laudantur praecipue. Est in eadem Sicilia et Tauromenitanis honos lagonis pro Mamertino plerumque subditis.

Ex reliquis autem a supero mari Praetutia atque 67
Ancone nascentia, et quae a palma una forte enata palmensia appellauere, in mediterraneo uero Caesenatia ac Maecenatiana, in Veroniensi item Raetica, Falernis tantum postlata a Vergilio, mox ab intimo sinu maris Hadriana, ab infero autem Latiniensia, Grauiscana, Statoniensia. Etruriae Luna palmam 68
habet, Liguria Genua, inter Pyrenaeum Alpesque Massilia gemino sapore, quando et condiendis aliis pinguius gignit, quod uocat sucosum. Baeterrarum intra Gallias consistit auctoritas. De reliquis in Narbonensi genitis adseuerare non est, quoniam officinam eius rei fecere tingentes fumo, utinamque non et herbis ac medicaminibus noxiis ! Quippe etiam aloe mercator saporem coloremque adulterat.

Verum et longinquiora Italiae ab Ausonio mari 69

non carent gloria, *Tarentina* et *Seruitia* et *Consentiae* genita et *Tempusae* ac *Babbiae* *Lucanaeque* antecedentibus *Thurinibus*. Omnium uero eorum maxime inlustrata *Messalae* *Potiti* salute *Lagarina*, non procul *Grumento* nascentia. *Campania* nuper excitauit nouis nominibus auctoritatem siue cura siue casu ad quartum a *Neapoli* lapidem *Trebellicis*, iuxta *Capuam* *Caulinis* et in suo agro *Trebulanis*, alioqui semper inter plebeia et *Trifolinis* gloriata. Nam 70 *Pompeianis* summum decem annorum incrementum est, nihil senecta conferente; dolore etiam caput in sextam horam diei sequentis infesta deprehenduntur. Quibus exemplis, nisi fallor, manifestum est patriam terramque referre, non uuam, et superuacuum generum consecrationem in numerum, cum eadem uitis aliud aliis in locis polleat. *Hispaniarum* 71 *Laetana* copia nobilitantur, *elegantia* uero *Tarracoenensia* atque *Lauronensia* et *Baliarica* ex insulis conferuntur *Italiae* primis. Nec ignoro multa praetermissa plerosque existimaturos, quando suum cuique placet et, quocumque eatur, fabula eadem reperitur, *Diui Augusti* iudiciorum ac palati peritissimum e liber- 72 tis censuram uini in epulas eius facientem dixisse



hospiti de indigena uino, nouum quidem sibi gustum esse eum atque non ex nobilibus, sed Caesarem non aliud poturum. Nec negauerim et alia digna esse fama, sed de quibus consensus aevi iudicauerit haec sunt.

IX (7). Nunc simili modo transmarina dicemus. 73
In summa gloria post Homericam illam, de quibus supra diximus, fuere Thasium Chiumque, ex Chio quod Ariusium uocant. His addidit Lesbium Erasistrati maximi medici auctoritas, circiter CCCCL anno urbis Romae. Nunc gratia ante omnia est Clazomenio, postquam parcius mari condiunt. Lesbium sponte 74 naturae suae mare sapit. Nec Tmoliti per se gratia ut uino, sed cuius dulci admixto reliquorum durtia suauitatem accipiat simul et aetatem, quoniam uetustiora protinus uidentur. Ab his dignatio est Sicyonio, Cyprio, Telmesico, Tripolitico, Berytio, Tyrio, Sebennytico. In Aegypto hoc nascitur tribus 75 generibus uuarum ibi nobilissimis, Thasio, aethalo, peuce. Post haec auctoritas Hippodamantio, Mystico, cantharitae, protropo Cnidio, Catacecaumenitae, Petritae, Myconio. Nam Mesogiten capitis dolores facere compertum est, nec Ephesium salubre esse, quoniam mari et defruto condiatur. Apamenum mulso

praecipue conuenire dicitur, sicut Praetutium in Italia ; est enim et haec proprietas generum : dulcia utique inter se non congruunt. Exoleuit et protagion, 76 quod Italicis proximum fecerant Asclepiadis scholae. Apollodorus medicus in uolumine, quo suasit Ptolemaeo regi quae uina biberet, Italicis etiam tum ignotis, laudauit in Ponto Naspercenitem, mox Oreticum, Oeneaten, Leucadium, Ambracioten et, quod cunctis praetulit, Peparethium, sed minoris fama esse dixit, quoniam ante sex annos non placeret.

X (8). Hactenus bonitas uini nationibus debetur. 77 Apud Graecos cura clarissimum nomen accepit quod appellauerunt bion, ad plurimos ualitudinum usus excogitatum, ut docebimus in parte medicinae. Fit autem hoc modo : uuae paulum ante maturitatem decerptae siccantur acri sole, ter die uersatae per triduum, quarto exprimuntur, dein *in* cadis sole inueterantur. Coi marinam aquam largiorem miscent, 78 a serui furto origine orta sic mensuram explentis, quae translata in album mustum leucocoum appellatur. In aliis autem gentibus simili modo factum tethalassomenon uocant, thalassiten autem uasis musti deiectis in mare, quo genere praecox fit uetustas.

Nec non apud nos quoque Coum uinum ex Italico 79
faciendi rationem Cato demonstraui, super cetera
in sole quadriennio maturandum praecipiens. Rho-
dium Coo simile est, Phorineum salsius Coo. Omnia
transmarina septem annis ad uetustatem mediam
peruenire existimantur.

XI (9). Vinum omne dulce minus odoratum ; quo 80
tenuius, eo odoratius. Colores uinis quattuor : albus,
fuluus, sanguineus, niger. Psithium et melampsithium
passi genera sunt suo sapore, non uini, Scybelites uero
mulsi, in Galatia nascens, et Haluntium in Sicilia.
Nam siraeum, quod alii hepsema, nostri sapam appel-
lant, ingeni, non naturae opus est, musto usque
ad tertiam mensurae decocto. Quod ubi factum ad
dimidiam est, defrutum uocatur. Omnia in adulte-
rium mellis excogitata, sed priora uua terraque
constant. Passum a *Cretico* Cilicium probatur et Afri- 81
cum. Et in Italia finitimisque prouinciis fieri certum
est ex uua, quam Graeci psithiam uocant, nos
apianam, item scripula, diutius *uuis* in uite sole
adustis aut feruenti oleo. Quidam ex quacumque

dulci, dum praecocta, alba, faciunt siccantes sole, donec paulo amplius dimidium pondus supersit, tuncque leniter exprimunt. Dein quantum expressere 82 adiciunt uinaceis aquae puteanae, ut et secundarium passum faciant. Diligentiores eodem modo siccatis acinos eximunt ac sine sarmentis madefactos uino excellenti, donec intumescant, premunt (et hoc genus ante cetera laudant) ac simili modo aqua addita secundarium faciunt. Medium inter dulcia uinumque 83 est quod Graeci aigleucos uocant, hoc est semper mustum. Id euenit cura, quoniam feruere prohibetur — sic appellant musti in uina transitum —; ergo mergunt e lacu protinus in aqua cados, donec bruma transeat et consuetudo fiat algendi. Est etiamnum aliud genus per se, quod uocat dulce Narbonensis prouincia et in ea maxime Voconti; adseruatur eius gratia uua diutius in uite pediculo intorto. Ab aliis ipse palmes 84 inciditur ad medullam, ab aliis uua torretur in tegulis, omnia ex heluennaca uite. His adiciunt aliqui quod uocant diachyton, uuis in sole siccatis loco cluso per dies septem in cratibus, totidem pedes a terra alte, noctibus ab umore defensis, octauo die calcatis:

ita fieri optimi odoris saporisque. E dulci genere est 85
et melitites ; distat a mulso quod fit e musto, cum
quinque congiis austeri musti congio mellis et salis
cyatho subferuefactis. Austerum, sed inter haec
genera poni debet et protropum ; ita appellatur a
quibusdam mustum sponte defluens ante quam
calcentur uuae ; hoc protinus diffusum in lagonis
suis deferuere passi postea in sole XL diebus torrent
aestatis secutae ipso canis ortu.

XII (10). Non possunt iure dici uina quae Graeci 86
deuteria appellant, Cato et nos loram, maceratis
aqua uinaceis, sed tamen inter uina operaria nume-
rantur. Tria eorum genera : decima parte aquae
addita quam musti expressa sit et ita nocte ac die
madefactis uinaceis rursusque prelo subiectis ;
alterum, quomodo Graeci factitauerunt, tertia parte eius
quod expressum sit addita aquae expressoque decocto
ad tertias partes ; tertium est faecibus uini expres-
sum, quod faecatium Cato appellat. Nullum ex his
plus quam annui usus.

XIII (11). Verum inter haec subit mentem, cum 87
sint genera nobilia, quae proprie uini intellegi pos-
sint, LXXX fere in toto orbe, duas partes ex hoc
numero Italiae esse, praeterea longe ante cunctas
terras. Et hinc deinde altius cura serpit, non a pri-

mordio hanc gratiam fuisse, auctoritatem post DC
urbis annum coepisse. XIV (12). Romulum lacte, 88
non uino libasse indicio sunt sacra ab eo instituta,
quae hodie custodiunt morem. Numae regis proximi
lex est : « Vino rogum ne respargito. » Quod sanxisse
illum propter inopiam rei nemo dubitet. Eadem
lege ex imputata uite libari uina diis nefas statuit,
ratione excogitata ut putare cogerentur alias aratores
et pigri circa pericula arbusti. M. Varro auctor est
Mezentium Etruriae regem auxilium Rutulis contra
Latinos tulisse uini mercede quod tum in Latino agro
fuisset.

(13). Non licebat id feminis Romae bibere. 89
Inuenimus inter exempla Egnati Maetenni uxorem,
quod uinum bibisset e dolio, interfectam fusti a marito,
eumque caedis a Romulo absolutum. Fabius Pictor
in annalibus suis scripsit matronam, quod loculos in
quibus erant clauēs cellae uinariae resignauisset, a
suis inedia mori coactam, Cato ideo propinquos 90
feminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent.
Hoc tum nomen uino erat, unde et temulentia appel-
lata. Cn. Domitius iudex pronuntiauit mulierem uideri
plus uini bibisse quam ualitudinis causa, uiro ins-
ciente, et dote multauit. Diuque eius rei magna par-
simonia fuit. L. Papirius imperator aduersus Sam- 91

nites dimicaturus uotum fecit, si uicisset, Ioui pocillum uini. Denique inter dona sextarios lactis datos inuenimus, nusquam uini. Idem Cato cum in Hispaniam nauigaret, unde cum triumpho rediit, « Non aliud uinum, inquit, bibi quam remiges », in tantum dissimilis istis qui etiam conuiuis alia quam sibimet ipsis ministrant aut procedente mensa subiciunt.

XV. Lautissima apud priscos uina erant murræ 92 odore condita, ut apparet in Plauti fabulis, quamquam in ea quae Persa inscribitur et calamum addi iubet. Ideo quidam aromatite delectatos maxime credunt. Sed Fabius Dossennus his uersibus decernit :

Mittebam uinum pulchrum murrinam,
et in Acharistione,

Panem et polentam, uinum murrinam.
Scaeuolam quoque et L. Aelium et Ateium Capi- 93
tonem in eadem sententia fuisse uideo, quoniam in Pseudolo sit :

Quod si opus est ut dulce promat *indidem*, ecquid
habet ? — Rogas ?

Murrinam, passum, defrutum, mella.
quibus apparet non inter uina modo murrinam, sed
inter dulcia quoque nominatum.

XVI (14). Apothecas fuisse et diffundi solita uina 94
anno DCXXXIII urbis apparet indubitato Opimiani
uini argumento. Iam intellegente suum bonum Italia
nondum tamen ista genera in claritate erant ; itaque
omnia tunc genita unum habent consulis nomen.
Sic quoque postea diu transmarina in auctoritate 95
fuerunt et ad auos usque nostros, quin et Falerno
iam reperto, sicut apparet ex illo comico uersu :

Quinque Thasi uini depromam, bina Falerni.
P. Licinius Crassus, L. Iulius Caesar censores anno
urbis conditae DCLXV edixerunt ne quis uinum
Graecum Aminneumque octonis aeris singula qua-
drantalia uenderet. Haec enim uerba sunt. Tanta
uero Graeco uino gratia erat, ut singulae portiones
in conuictu darentur. XVII. Quibus uinis auctori- 96
tas fuerit sua iuuenta M. Varro his uerbis tradit :
« L. Lucullus puer apud patrem numquam lautum
conuiuium uidit in quo plus semel Graecum uinum
daretur ; ipse cum rediit ex Asia, milia cadum congia-

rium diuisit amplius centum. C. Sentius, quem praetorem uidimus, Chium uinum suam domum inlatum dicebat tum primum, cum sibi cardiaco medicus dedisset. Hortensius super \bar{X} cadum heredi reliquit. » Hactenus Varro. (15). Quid ? non et Caesar dictator triumpho sui cena uini Falerni amphoras, Chii cados in conuiuia distribuit ? Idem Hispaniensi triumpho Chium et Falernum dedit, epulo uero in tertio consulatu suo Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum, quo tempore primum quattuor genera uini apposita constat. Postea ergo reliqua omnia in nobilitatem uenere et circiter DCC urbis annum.

XVIII (16). Itaque non miror innumerabilia paene genera ficticii reperta multis ante saeculis, quae nunc dicemus, omnia ad medicinae usum pertinentia. Omphacium quomodo fieret, propter unguenta diximus priore libro. Fit e labrusca, hoc est uite siluestri, quod uocatur oenanthinum, floris eius libris duabus in musti cado maceratis ; post dies XXX utuntur. Praeter hoc radix labruscae, acini coria perficiunt. Hi, paulo postquam defloruere, singulare remedium habent ad refrigerandos in morbis corporum ardores, gelidissima, ut ferunt, natura.

Pars eorum aestu moritur prius quam reliqua, quae solstitiales dicuntur. Vniuersi nunquam maturescunt, et, si priusquam tota inarescat, uua incocta detur cibo gallinaceo generi, fastidium gignit uuas adpetendi.

XIX. Ficticiorum primum fit ex ipso uino (quod 100 uocant adynamon) hoc modo : albi musti sextarii XX, aquae dimidium feruent, donec excoquatur aquae mensura. Alii marinae sextarios X, tantumdem pluuiæ in sole XL diebus torrent. Dant aegris quibus uini noxiam timent.

Proximum fit e milii semine maturi cum ipsa 101 stipula, libra quadrante in congios duos musti, macerato et post septimum mensem transfuso. Ex loto arbore, frutice, herba dictum est ubi quaeque fierent.

Fiunt et e pomis, quae dicemus interpretationibus 102 non nisi necessariis additis, primumque e palmis, quo Parthi, Indi utuntur et Oriens totus, mitiorum quas uocant chydæas modio in aquae congiis tribus macerato expressoque. Sic fit et sycites e fico, quem alii pharnuprium, alii trochin uocant, aut si dulce esse non libeat, pro aqua tantumdem uinaceorum adicitur.

E Cypria fico et acetum fit praecellens atque Alexandrino quoque melius. Vinum fit et e siliqua Syriaca 103 et e piris malorumque omnibus generibus (sed e Punicis rhoiten uocant) et e cornis, mespilis, soruis, moris siccis, nucleis pineis; hi musto madidi exprimuntur; superiora per se mitia. Myrtiten Cato quem- 104 admodum fieri docuerit mox paulo indicabimus. Graeci et alio modo: ramis teneris cum suis foliis in salso musto coctis, tunsis, libram in tribus musti congiis deferuefaciunt, donec duo supersint. Quod ita e siluestris myrti bacis factum est, myrtidanum uocatur; hoc manus tinguit.

Ex his quae in hortis gignuntur fit uinum e radice 105 asparagi, cunila, origano, api semine, habrotono, mentastro, ruta, nepeta, serpyllo, marrubio: manipulos binos condunt in cadum musti et sapae sextarium et aquae marinae heminam. E napis fit duum 106 denariorum pondere in sextarios binos musti addito, item e scillae radice; inter flores ex rosae foliis tuis in linteolo in mustum collatis cum pondusculo, ut sidat, X L pondere in sextarios musti uicenos (*uetant*

ante tres menses uas aperiri), item e nardo Gallico et aliud e siluestri.

Aromatiten quoque inuenio factitatum tantum non 107
unguentorum compositione, primo ex murra, ut
diximus, mox et nardo Celtico, calamo, bitumine,
offis in mustum aut dulce uinum deiectis, alibi
calamo, iunco, costo, nardo Syriaco, amomo, casia,
cinnamo, croco, palma, asaro, similiter in offa. Apud 108
alios nardi etiam et malobathri selibris in musti con-
gios duos additis, qualia nunc quoque fiunt pipere et
melle addito, quae alii condita, alii piperata appellant.
Inuenitur et nectarites ex herba quam alii *Helenion*,
alii *Medicam*, alii *symphyton*, alii *Idaeam*, alii
Orestion, alii *nectariam* uocant, radice ponderis
X L in sextarios sex musti addita, similiter in linteo.
Ex ceteris herbis fit *absinthites* in XL sextariis musti 109
absinthi Pontici libra decocta ad tertias partes uel
scopis absinthi in uinum additis. Similiter *hyssopites*
e *Cilicio hyssopo unciis tribus* in duos congios musti
coiectis aut *tusis* in uinum. Fiunt utraque et alio
modo, circa radices uitium sato. Sic et *elleboriten* 110
feri ex ueraturo nigro Cato docet. Sic fit et *scammo-*

nites, mira uitium natura saporem alienum in se trahendi, quare et salicem redolent Patauinorum in palestribus uindemiae. Sic et elleborum seritur in Thaso aut cucumis silvester aut scammonia, quod uinum *phthorium* uocatur, quoniam abortus facit.

Fit et ex herbis, quarum naturae suo loco dicentur, 111
e stoechade et radice gentianae et tragorigano et dictamno, asaro, dauco, elelisphaco, panace, acoro, thymo, mandragora, iunco. Vocarunt et scyzinum et itaeomelin et lectisphagiten, quorum iam oblitterata ratio est.

E fruticum uero genere cedri utriusque, cupressus, 112
laurus, iuniperi, terebinthi, † callen †, lentisci bacae aut lignum recens in musto decocuntur, item chamaelaeae et chamaepityis, chamaedryis lignum. Eodem modo et ex flore, in congium musti decem X pondere addito.

XX (17). Fit uinum et ex aqua ac melle tantum. 113
Quinquennio ad hoc seruari caelestem iubent. Alii

prudentiores statim ad tertias partes decocunt et tertiam ueteris mellis adiciunt, dein XL diebus canis ortu in sole habent; alii diffusa ita decimo die obturant. Hoc uocatur hydromeli et uetustate saporem uini adsequitur, nusquam laudatius quam in Phrygia. XXI. Quin et acetum melle temperabatur: 114 adeo nihil intemptatum uitae fuit; oxymeli hoc uocarunt, mellis decem libris, aceti ueteris heminis quinque, salis marini libra, aquae pluuiiae sextariis quinque sufferuefactis decies, mox elutriatis atque ita inueteratis. Omnia ab Themisone summo auctore damnata. Et Hercules coactus usus eorum uideri 115 potest, nisi si quis naturae opus esse credit aromatiten et ex unguentis uina composita, aut ut biberentur genuisse eam frutices. Ita sunt cognitu iucunda sollertiae humanae nomine omnia exquirentis. Nihil quidem ex iis anno durare, praeterquam quae uetustate ipsa fieri diximus, et plura ne tricenis quidem diebus, non erit dubium.

XXII (18). Sunt et in uino prodigia. Dicitur in 116 Arcadia fieri quod fecunditatem feminis importet, uiris rabiem, at in Achaia maxime circa Ceryniam abigi partum uino atque etiam si uuam edant graui-



dae, cum differentia in gustatu non sit. Troezenium 117
uinum qui bibant negantur generare. Thasos duo
genera uini diuersa facere proditur, quo somnus con-
cilietur, alterum uero quo fugetur. Apud eosdem uitis
theriaca uocatur, cuius et uinum et uua contra ser-
pentium ictus medetur; libanodes turis odore, ex
qua diis prolibant; e diuerso aspendios damnata
aris; ferunt eam nec ab alite ulla attingi. Thasiam
uam Aegyptus uocat apud se praedulcem, quae
soluit aluum; est contra Lycia, quae solutam
firmat. Aegyptus et ecbolada habet abortus facien-
tem. Vina in apothecis canis ortu mutantur quaedam 118
posteaque restituntur sibi. Sic et mari nauigato,
cuius iactatus iis quae durauerint tantum uetustatis
adicere sentitur quantum habuerint.

XXIII (19). Et quoniam religione uita constat, 119
prolibare diis nefastum habetur uina, praeter impu-
tatae, uitis fulmine tactae quamque iuxta hominis
mors laqueo pependerit aut uulneratis pedibus cal-
cata, et quod circumcisis uinaceis profluxerit aut
superne *deciduo* immundiore lapsu aliquo polluta,
item Graeca, quoniam aquam habeant. Vitis ipsa
quoque manditur decoctis caulibus summis, qui et
condiuntur in aceto ac muria.

XXIV. Verum et de apparatu uini dixisse conue- 120



niat, cum Graeci priuatim ea praecepta condiderint artemque fecerint, sicut Euphronius et Aristomachus et Commiades et Hicesius. Africa gypso mitigat asperitatem nec non aliquibus partibus sui calce. Graecia argilla aut marmore aut sale aut mari lenitatem excitat, Italiae pars aliqua crapulana pice, ac resina condire musta uolgare ei est prouinciisque finitimis; nonnusquam prioris uini faece acetouae condiunt. Nec non et ex ipso musto fiunt medicamina: decoquitur 121 ut dulcescat portione uirium, nec durare ultra annum spatium tale proditur. Aliquibus in locis decoquant ad sapa musta infusisque iis ferociam frangunt. Et in hoc tamen genere et in omni alio subministrant uasa ipsa condimentis picis, cuius faciendae ratio proximo dicetur uolumine.

XXV (20). Arborum suco manantium picem resinamque aliae ortae in Oriente, aliae in Europa ferunt; quae interest Asia utrimque quasdam habet. In Oriente optimam tenuissimamque terebinthi fundunt, dein lentisci, quam et mastichen uocant, postea cupressi, acerrimam sapore, liquidam omnes et tantum resinam, crassiorem uero et ad pices faciendas cedrus. Arabica resina alba est, acri odore, difficilis coquenti, Iudaea callosior et terebinthina quoque odoratior, Syriaca Attici mellis similitudinem habet. 122

Cypria antecedit omnes ; est autem melleo colore, 123
carnosa. Colophonia, praeter ceteras fulua, si teratur,
alba fit, grauior odore ; ob id non utuntur ea
unguentarii. In Asia quae fit e picea, admodum candida,
psagdas uocatur. Resina omnis dissoluitur oleo
— quidam et creta figularum hoc fieri arbitrantur
—, pudetque confiteri maximum iam honorem eius
esse in euellendis uirorum corpori pilis.

Ratio autem condiendi musta in primo feruore, qui 124
nouem diebus cum plurimum peragitur, adpersu
picis, ut odor uino contingat et saporis quaedam
acumina. Vehementius id fieri arbitrantur crudo flore
resinae excitarique lenitatem, e diuerso crapula
compesci feritatem nimiam frangique uirus aut, ubi
pigra lenitas torpeat, uirus addi, Liguria maxime
Circumpadanisque mustis. Vtilitas discernitur hoc 125
modo : pugnacibus mustis crapulae plus inditur,
lenibus parcius ; sunt quae ex utroque condiri
uelint, nec non alia quae simul et pice. Est et natura
uitiumque musto quibusdam in locis iterum sponte
feruere, qua calamitate deperit sapor ; uappae accipit
nomen, probrosum etiam hominum, cum degene-
rauit animus ; aceti enim nequitiae inest uirtus

magnos ad usus et sine quis mitior uita degi non possit. Cetero uinorum medicaminis tanta cura est, 126 ut cinere apud quosdam, ceu gypso alibi et quibus diximus modis instaurentur; sed cinerem e uitis sarmentis aut quercu praeferunt. Quin et marinam aquam eiusdem rei gratia ex alto peti iubent seruarique ab aequinoctio uerno, aut certe nocte solstitio et aquilone flante hauriri uel, si circa uindemiam hauriatur, decoqui.


Pix in Italia ad uasa uino condendo maxime 127 probatur Bruttia. Fit e piceae resina, in Hispania autem e pinastris minime laudata; est enim resina earum amara et arida et graui odore. Differentiam rationemque faciendi proximo uolumine demonstrabimus inter arbores feras. Vitia praeter supra dicta acor aut fumidum uirus, picis autem adustio; experimentum uero, si fragmenta subluceant ac sub dente lentescant acore iucundo. Asia picem Idaeam 128 maxime probat, Graecia Piericam, Vergilius Naryciam. Diligentiores admiscent nigram mastichen, quae in Ponto bitumini similis gignitur, et iris radicem oleumque. Nam ceram accipientibus uasis compertum uina acescere. Sed transferre in ea uasa, in quibus acetum fuerit, utilius quam in ea in quibus dulce aut mulsum. Cato iubet uina concinnari (hoc 129

enim utitur uerbo) cineris lixiui cum defruto cocti parte quadragesima *in* culleum uel salis sesquilibra, interim et tuso marmore. Facit et sulphuris mentionem, resinae uero in nouissimis. Super omnia 130 addi maturescente iam uino iubet mustum, quod ille tortium appellat, nos intellegimus nouissime expressum. Et addi scimus tinguendi gratia colores, ut pigmentum aliquod uini, atque ita pinguius fieri. Tot *ueneficiis* placere cogitur, et miramur noxium esse! In uitium inclinantis experimentum est lamnae plumbeae mutatus in eo colos.

XXVI. Proprium autem inter liquores uino mucescere aut in acetum uerti, extantque medicinae uolumina. Faex uini siccata recipit ignes ac sine alimento per sese flagrat. Cinis eius nitri naturam habet eademque uires, hoc amplius quod pinguior sentitur. 131

XXVII (21). Magna et collecto iam uino differentia in caelo. Circa Alpes ligneis uasis condunt circulisque cingunt, atque etiam hieme gelida ignibus rigorem arcent; rarum dictu, sed aliquando uisum, ruptis uasis stetero glaciatae moles, prodigii modo, 132

quoniam uini natura non gelascit ; alias ad frigus
stupet tantum. Mitiores plagae doliis condunt info- 133
diuntque terrae tota aut ad portionem situs ; ita
caelum prohibent. Alibi uero impositis tectis arcent ;
traduntque et haec praecepta : latus cellae uinariae aut
certe fenestras obuerti in aquilonem oportere uel
utique in exortum aequinoctialem. Sterculina et
arborum radices procul abesse omniaque odoris
euitandi, facillimo in uina transitu, ficos utique et
caprificos. Doliis etiam interualla dari, ne inter sese 134
uitia serpant contagione uini semper ocissima. Quin
et figuras referre : uentriosa ac patula minus utilia.
Picari oportere protinus a canis ortu, postea perfundi
marina aqua aut salsa, dein cinere e sarmentis
aspergi uel argilla, abstersa murra suffiri ipsasque
saepius cellas. Imbecilla uina demissis in terram
doliis seruanda, ualida expositis. Numquam implan- 135
da, et quod supersit passo aut defruto perunguendum
admixto croco pistaue iri cum sapa. Sic opercula
dolorum medicanda addita mastiche aut pice
Bruttia. Aperiri uetant nisi sereno die, uetant austro



flante lunaue plena. Flos uini candidus probatur; 136
rubens triste signum est, si non is uini colos sit,
item uasa incalescentia operculaue sudantia; quod
celeriter florere coeperit odoremque trahere, non fore
diutinum. Ipsa quoque defruta ac sapa, cum sit caelum
sine luna, hoc est in sideris eius coitu, neque alio die
coqui iubent, praeterea plumbeis uasis, non aereis,
nucibusque iuglandibus additis; eas enim fumum exci-
pere. Campaniae nobilissima exposita sub diu in cadis
uerberari sole, luna, imbre, uentis aptissimum uidetur.


XXVIII (22). Ac si quis diligentius reputet, in nulla 137
parte operosior uita est — ceu non saluberrimum
ad potus aquae liquorem natura dederit, quo cetera
omnia animalia utuntur; at nos uinum bibere et
iumenta cogimus — tantoque opere, tanto labore et
impendio praestat quod hominis mentem mutet ac
furorem gignat, milibus scelerum ob id editis, tanta
dulcedine, ut magna pars non aliud uitae praemium
intellegat! Quin immo, ut plus capiamus, sacco fran- 138
gimus uires, et alia irritamenta excogitantur ac
bibendi causa etiam uenena concipiuntur, aliis cicutam
praesumentibus, ut bibere mors cogat, aliis pumicis
farinam et quae referendo pudet docere. Cautissimos 139



ex iis in balineis coqui uidemus exanimesque efferri, iam uero alios lectum exspectare non posse, immo uero nec tunicam, nudosque ibi protinus et anhelos ingentia uasa corripere, uelut ad ostentationem uirium, ac plena infundere, ut statim uomant rursusque hauriant, idque iterum tertiumque, tamquam ad perdenda uina geniti et tamquam effundi illa non possint nisi per corpus humanum! Huc pertinent peregrinae exercitationes et uolutatio in caeno ac pectorosa ceruicis repandae ostentatio; per omnia haec praedicatur sitis quaeri. Iam uero quae in bibendo certamina, quae uasa adulteriis caelata, tamquam per se parum doceat libidines temulentia. Ita uina ex libidine hauriuntur, atque etiam praemio inuitatur ebrietas et, si dis placet, emitur. Alius, ut quantum biberit, tantum edit, pretium uinolentiae lege accipit, alius quantum alea quaesierit, tantum bibit. Tunc auidi matronam oculi licentur, graues 141 produnt maritum, tunc animi secreta proferuntur. Alii testamenta sua nuncupant, alii mortifera elocuntur rediturasque per iugulum uoces non continent — quam multis ita interemptis! — uolgoque ueritas iam

attributa uino est. Interea, ut optime cedat, solem orientem non uident ac minus diu uiuunt. Hinc pallor 142 et genae pendulae, oculorum ulcera, tremulae manus effundentes plena uasa — quae sit poena praesens —, furiales somni et inquietas nocturna praemiumque summum ebrietatis libido portentosa ac iucundum nefas. Postero die ex ore halitus cadi ac rerum omnium obliuio morsque memoriae. Rapere se ita uitam praedicant, cum priorem diem cotidie perdant, illi uero et uenientem. Tiberio Claudio principe ante 143 hos annos XL institutum ut ieiuni biberent potiusque uinum antecederet cibos, externis et hoc artibus ac medicorum placitis nouitate semper aliqua sese commendantium. Gloriam hac uirtute Parthi quae- 144 runt, famam apud Graecos Alcibiades meruit, apud nos cognomen etiam Nouellius Torquatus Mediolanensis, ad proconsulatum usque praeturae honoribus gestis, tribus congiis — unde et cognomen illi fuit — epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe, in senecta iam seuro atque etiam saeuo alias. Et ipsi iuuenta ad merum pronior fuerat, eaque 145

commendatione credidere L. Pisonem urbis curae ab
eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpo-
tationem continuasset apud ipsum iam principem.
Nec alio magis Drusus Caesar regenerasse patrem Tibe-
rium ferebatur. Torquato rara gloria, quando et haec 146
ars suis legibus constat, non labasse sermone, non
leuatum uomitione nec alia corporis parte, dum
biberet, matutinas obisse <sine> iniuria uigilias,
plurimum hausisse uno potu, plurimum praeterea aliis
minoribus addidisse, optima fide non respirasse in
hauriendo neque expuisse nihilque ad elidendum in
pauimentis sonum ex uino reliquisse, diligenti scito
legum contra bibendi fallacias. Tergilla Ciceronem M. f. 147
binos congios simul haurire solitum ipsi obicit Mar-
coque Agrippae a temulento scyphum impactum.
Etenim haec sunt ebrietatis opera, sed nimirum hanc
gloriam auferre Cicero uoluit interfectori patris
sui M. Antonio. Is enim ante eum auidissime appre- 148
henderat hanc palmam, edito etiam uolumine de sua
ebrietate, quo patrocinari sibi ausus approbavit plane,
ut equidem arbitror, quanta mala per temulentiam



terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante proelium Actiacum id uolumen euomuit, quo facile intellegatur ebrius iam sanguine ciuium et tanto magis eum sitiens. Namque et haec necessitas uitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat auiditatem, scitumque est Scytharum legati, quanto plus biberint, tanto magis sitire Parthos.

XXIX. Est et Occidentis populis sua ebrietas 149 fruge madida, pluribus modis per Gallias Hispaniasque, nominibus aliis, sed ratione eadem. Hispaniae iam et uetustatem ferre ea genera docuerunt. Aegyptus quoque e fruge sibi potus similes excogitauit, nullaque in parte mundi cessat ebrietas, meros quippe hauriunt tales sucos nec diluendo ut uina mitigant. At Hercules illic tellus fruges parere uidebatur. Heu mira uitiorum sollertia! Inuentum est quemadmodum aquae quoque inebriarent.

Duo sunt liquores humanis corporibus gratissimi, 150 intus uini, foris olei, arborum e genere ambo praecipui, sed olei necessarius; nec segniter in eo uita elaborauit. Quanto tamen in potu ingeniosior fuerit, apparebit ad bibendum generibus centum octoginta quinque, si species uero aestimentur, paene duplici numero excogitatis tantoque paucioribus olei, de quo sequenti uolumine dicemus.



